



Crisis Theologica

In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi controversiæ,
subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Crisis Theologica - In Qva Selectiores, Et Aciores hujus, et elapsi sæculi
controversiæ, subsecuturâ in Elencho legendæ discutiuntur

Casnedi, Carlo Antonio

Ulyssipone, M.DCCXI

§. III. Contradictiones P. Elizaldæ, & ulterior impugnatio.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-84777](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-84777)

gelitis pag. 310. ad finem, quod nihil Deus jubeat, quod sibi prodest, sed quod illi, cui jubet. Addo 2. quod sicut Deus ad vitam temporalem utcumque traducendam pauca fecit necessaria; quæ enim homines plerumque expectunt, & ad quæ se sponte damnant, cupiditatis, ambitionis, & vitiorum illicia sunt, non necessitatis: ita Deus Optimus Cælum nobis facillimo negotio venale fecit: non est, quod Indias adeamus, non est, quod omnia bene parta in elemosynas profundamus; non est, quod tantundem premamur, & opprimamur, quantum vitiosi pro Venere saturanda. Ad pauca itaque nos plerumque obligavit; immò ad præcepta Evangelij magis ardua non nisi rarissime: rarissima enim occasio se se offert: immolandi, ut Abraham, filium, parcendi inimico summè infenso, resistendi vehementissimæ tentationi: plerumque enim tentationes non sunt vehementissimæ; plerumque cum inimicis reconciliationes non supponunt excedentem injuriam: hoc autem Deus ex suavissimo in nos amore ita disposuit. Igitur ad pauca, & quidem facilia, si gratia nobis semper assistens confideretur, & magnitudo æterni præmij mente revolvatur, Deus nos obligavit, non igitur ad tantam diligentiam, quantâ sive sponte, sive necessario utuntur sectatores, & multo magis vitiosi hujus sæculi.

N. Hinc sæpe memini famosæ sententiæ Excellentissimi Principis, qui ferè omnem pro vectæ ætatis suæ partem sub Austriacis Vexillis, illustrioribus bellici honoris gradibus decoratus, traduxerat; memini, inquam, famosæ ejus sententiæ: hic enim dum adolescens mihi in primis intimus, Societatis tyrocinium adiret, ut se Deo ex animo immolaret, inter alia excelsi ingenij monumenta, hoc sæpe revolvendum protulit: Sexaginta, & amplius, nos milites ligamur legibus, quarum qualibet, etsi ex incerto Martis eventu inconsideratè violetur, actum est de honore, & sæpe de vitâ; hoc autem non ut supremo, sed ut infimo, seu honorati militis titulo gloriemur: tu verò præter tria super Decalogum vota, vix habes, quod te obliget; immò etsi ex accidenti legem aliquam occultè violares, integra tibi fama, & vita est. Heu ad quæ, & quanta, incerta temporalis militiæ alea; ad quam modica tuæ spiritualis militiæ tessera, me, & te obligat! Hæc mihi Excel. Princeps, dum Societatem ingredi volui.

N. Addo 3. quod ut argumentum ex diligentia, quâ hujus sæculi homines utuntur, infractum robur sumat, debet esse, immò esse à minori ad maius. Siquidem Deus, & San-

cti, ut homines ad æterni Regni lucrum invitent, & ut resistentibus omnem omnino exultationem auferant, ita arguunt: Si tantum laboratis, licet hoc necesse non sit, ut modicè vivatis, quanto magis laborare debetis, non tamen debetis, ut in æternum vivatis? Neutiquam igitur Deus, & Sancti obligant ad tantum diligentiam pro æterno Regno, ad quantum pro re temporali peccatores sponte se obligant: sed ex summa diligentia peccatorum pro rebus sæculi redarguunt nullam diligentiam eorum pro Regno æterno. Immò, sicut Deus infernum aditu facile permittit (satis enim est una culpa mortalis) ita equè aditu facile reddidit æternum Regnum; satis enim est in omni infante Baptismus, in omni adulto habente conscientiam mortalis, vel contritio, vel attritio cum confessione; & Deus contentus est, ut appetitivè magis æstitemus vitam æternam, & ad ejus diligentiam usum nos obligavit, quâ omne ejus imminens impedimentum tollamus, & ejus mandata impleamus, quæ diligentia quantitas taxari debet prudentis, probi, & docti viri consilio, quo Deus nos regi voluit.

§. III.

Contradictiones P. Elizaldæ, & ulterior impugnatio.

SUMMARIUM.

Præcipue, n. 174. ad 178.

Aserit ignorantiam instam probabilitati esse invincibilem, n. 175.

Vult mensuram diligentia taxari non posse, 178.

Ex hoc quod sit possibile inveniri, non inferitur, quod inveniantur, n. 180.

Ostendo nullum Ecclesiæ Doctorem invenisse omnem legem, quin eo ipso quod sibi contradixere quoad jus naturale, eo ipso non invenere; & ut illi non peccarunt, nec nos, ait scitè P. Thyrsus, n. 181. ad 186.

Lex est invenibilis, & Deus eam notitiam quoad rationes explicitas dare debet, non quoad remotas, n. 185.

S. Aug. de se fateatur, ignorantiam sibi in multis insuperabilem: in quibus? n. 187.

Et ait, quod authoritati credere sit magnum compendium, & nullus labor; & suadet imperitis, quorum maxima pars est, ut authoritati fiant, n. 188.

S. Aug. de se ait, Quo me contemnas, quid inter se differant, (Angeli) nescio, nec in eâ ignorantia periclitari me puto, sicut in obedientia, si Domini præcepta neglexero, n. 187.

P. Ræter dicta notanda veniunt contradictiones P. Elizaldæ. Primum est, vel omnem P. Elizaldæ legem

N.

174.

P. Eliz.

legem

legem non esse cognoscibilem, & invenibilem, ejus oppositum acriter ruitur; vel omnem ignorantiam esse vincibilem, nullam autem esse invincibilem, ejus etiam oppositum ruitur; aut enim in *conclusionem tertiam* dari ad tempus, nempe eo, quo quis facit, quod in se est, ignorantiam invincibilem juris naturalis, & Divini. Sequela suadet; quia si omnis lex est invenibilis, & cognoscibilis ex eterna Veritate estato, *Quartae, & invenietis*, in quo fundatur *totus liber septimus* P. Elizal. omnis legis ignorantia erit vincibilis, nam potest vinci inveniendo, & cognoscendo. Rursus si non omnis ignorantia est invincibilis; ergo non omnis legis ignorantia vinci potest inventionem, & notitia legis; ergo non omnis lex est invenibilis, & cognoscibilis, nisi ad summum remotè. Secundum est; quia in *secunda conclusionem* dicit, quod qui putat suas rationes probabiles, (non dicit certas, aut probabiliore) seu assensu dignas, eo ipso invincibiliter ignorat, & errat: ergo ubicumque datur probabilitas assensu digna, datur ignorantia invincibilis: & tamen alibi pluribus in locis hoc negat, & solam veritatem, exclusam etiam certitudine, si falsa sit, vult esse regulam.

N. Tertium est, quod eadem secundam conclusionem asserit, sc. quoad præiens punctum invincibilis ignorantia juris naturalis, & Divini, nihil differre à sententia opposita; in hoc autem est contradictio; qui enim *lib. 7. in questionibus antecedentibus*, immò qui *qu. 13. & 14.* impugnaverat invincibilem ignorantiam juris naturalis, & Divini, five credendi, five agendi, & qui *primam, & secundam* parte totus fuit in evertendâ probabilitate, & ignorantia invincibili in eâ fundatâ, tandem fatetur se nobiscum sentire. Quartum est, quod dum concedit in faciente, quod in se est, ignorantiam invincibilem, eo ipso fatetur in eo legis ininvenibilitatem, & incognoscibilitatem, & impossibilitatem pro eo tempore; ergo eo ipso tenetur solvere omnia argumenta, quæ contra nos adducit: quero enim, an eo tempore lex sit invenibilis, cognoscibilis, possibilis: si affirmat, contra est; quia eo tempore laborat invincibili ignorantia legis; ergo lex est eo tempore incognoscibilis, & impossibilis. Si negat, contra est; quia omnis lex naturalis, & Divina est per P. Elizal. possibilis, invenibilis, & cognoscibilis; ergo etiam pro eo tempore est talis: vel si non est talis pro eo tempore, cur non etiam pro alio? & cur contra nos producit argumentum, quod saltem pro eo tempore solvere tenetur? & quam daturus est solutionem, dabimus & nos, si sana sit.

178. Quintum est; quia omnis lex erit, & non erit

per P. Elizal. invenibilis: erit invenibilis, ut supponit: non erit invenibilis, quia implicat, ut aliquid certo invenibile sit, nisi inveniens sciat medium necessarium ad inventionem illius: ergo cum medium necessarium ad inventionem legis naturalis, & Divinæ sit mensura quantitatis diligentia adhibendæ pro eâ inveniendâ; hæc autem mensura per P. Elizal. *lib. 7. qu. 11. §. 8. pag. 53. ad finem, nec taxari, nec discerni a nobis possit*: rursus cum omnis lex, quæcumque ca sit, supponat sui promulgationem, ut ait P. Elizal. *lib. 7. qu. 13. §. 1. quantitas autem* (ut ait idem Elizal. *qu. 12. §. 1. pag. 55. ad finem*) ipsa promulgationis necessaria, & faciendæ nobis ignota est, eo ipso non omnis lex erit invenibilis, quia juxta P. Elizal. non est cognoscibile à nobis medium necessarium ad ejus invenibilitatem; hoc enim medium est mensura quantitatis diligentia à nobis indiscernibilis, & quantitas promulgationis nobis ignota.

Ut autem propius accedam ad solutionem argumenti pro omnis legis naturalis, & Divinæ invenibilitate, respondeo 1. hoc retorqueri in omni lege humanâ positivâ: quero enim, an omnis humana, & justa lex sit invenibilis ab omni eo, pro quo lata est? Si affirmat, contra est ipsa experientia; quot enim sunt leges Canonicae, & Politicæ, quæ invincibiliter ignorantur? Si negat, ergo neque omnis lex naturalis, & Divina est invenibilis, nam argumenta idem probant; omnis enim lex ideo fertur, ut impleatur, impleri autem non potest, nisi cognoscatur, & inveniat; quod argumentum probat tam de lege naturali, & Divinâ, quam de humanâ. Respondeo 2. Licet daretur omnem legem Dei esse invenibilem, & impleri possibilem, ex hoc non inferitur, quod omnis invenietur; quot enim sunt possibilia, quæ non accidunt? & à potentia ad actum pessima est consequentia. Respondeo 3. ut mihi inter tot Ecclesiæ Doctores, & Pastores, immò Romanos Pontifices assignet unum, qui omnem legem naturalem, & Divinam invenerit; nullum enim assignare poterit: quot enim sunt in Theologia quæstiones circa apices juris naturalis, & Divini adhuc incertæ, necdum definitæ? & æquali ratione poterit tam affirmans, quam negans asserere se invenisse? immò quot à posteris novæ aliæ quæstiones excitabuntur? Ergo nullus est, qui omnem legem naturalem, & Divinam invenerit: ergo potius dicendum est, non omnem legem naturalem, & Divinam esse saltem quoad nos proximè invenibilem. Immo hinc robustè rejicitur P. Elizal. inferens omnem

omnem ignorantiam juris naturalis, & Divini esse vincibilem, eo quia supponit omne jus naturale, & Divinum esse invenibile: si enim omnis ignorantia cujuslibet juris naturalis, & Divini est vincibilis, peccavere omnes Sancti, & quidem in re gravi, quia nullus eorum est, qui aliquas leges naturales, & Divinas non ignoraverit; immo nullus est, qui, velit, nolit, plures ignoraturus non sit: sane contremiscit calamus, cum hæc scribo, sed in culpâ est, qui adeo invenibilitate omnis legis naturalis, & Divinæ rapitur, ut non inventientes dixerit laborare ignorantia vincibili, ut docet *lib. 7. qu. 12.* Respondet 4. quod si omnis lex est invenibilis, certe in sententiâ P. Elizal. tantum abest, ut omnis sit invenibilis, quin nulla est invenibilis, ut enim inveniantur, sciri debet mensura diligentiae, & quantitas promulgationis necessariae, quæ utraque est nobis ignota, ut ait P. Elizal. Respondet 5. proportionaliter ad invincibilitatem ignorantiae discurrendum de invenibilitate legis: sicut ergo ignorantia, quæ potest physicè vinci, non tamen potest moraliter vinci, quatenus, vel non est debitum eam vincendi, vel si est, non cognoscitur, dicitur ignorantia Theologicè invincibilis, licet physicè sit vincibilis; ita à pari lex, quæ potest physicè inveniri, non tamen potest moraliter, quatenus non habetur ulla notitia legis, quâ notitiâ excitetur ad ejus inventionem, vel si habetur aliqua notitia, quâ ad ejus inventionem excitetur, attamen post multiplex pro existentia, & pro non existentia examen, adhuc ejus existentia, & inventio sunt incertæ, dicitur lex Theologicè invenibilis, etsi physicè invenibilis sit, & est, quasi non esset, Theologicè loquendo. Brevius: Lex est invenibilis, vel quoad se, & hoc concedo de omni lege; vel quoad nos, & hoc nego; non enim omnis quoad nos est invenibilis; ut enim lex aliqua sit quoad nos invenibilis, debet ejus existentia notitia ferè omnibus constare; quomodo autem constare potest ferè omnibus, quando à ferè tot Doctoribus negatur, à quot affirmatur? Idem dico de possibilitate legis: Omnis lex naturalis, & Divina potest esse observatu possibilis, vel physicè, vel moraliter: ut sit moraliter observabilis, non satis est, quod lata sit, sed debet constare moraliter illi, cui observatio incumbit; & ideo Pontifices damnarunt opinionem dicentem, quod lex Dei volenti, seu scienti, & conanti aliquando est observatu impossibilis; non autem opinionem dicentem, quod lex Dei est aliquando observatu impossibilis, nempe quoties nescitur.

Abstineo ab ulteriori impugnatione sententiæ P. Elizal. quod dari non possit invincibilis ignorantia juris naturalis, & Divini, & quod omnis lex naturalis sit invenibilis; abundè enim eam impugnavimus, & argumenta ejus solvimus, quæ unicè probant Deum ad summum teneri dare nobis notitiam legis quoad rationes explicitas, non tamen quoad remotas, eaque luculenter dissolvit P. Thyrsus *dis. 11. an. 30.*

Demum, quia P. Elizal. ubique gloriatur se in SS. PP. verfatum, & omnem veritatem esse à viro diligenti invenibilem, præter ea, quæ P. Thyrsus habet *dis. 8. ubi n. 11.* ait, videri sibi difficilem doctrinam sustinentem, non dari invincibilem ignorantiam, nè quidem circa apices juris naturalis; certum enim est (ait P. Thyrsus) Sapientissimos DD. & Sanctos sine culpâ tradere doctrinas oppositas circa jus naturale, quarum alterutra est evidenter falsa: ergo evidens est DD. Sanctos aliquando sine peccato docere doctrinas falsas circa jus naturale. Si autem illi in illis tradendis non peccarunt, cur peccare debet, qui eas sequitur, nixus auctoritati, & rationibus illorum? & si illi in docendo non tenentur semper tradere doctrinas veras, sed solum inquirere veritatem, & tradere, vel doctrinam veram, vel verosimiliorem, (ait P. Thyrsus) etsi re ipsâ falsa esset; ita Fideles non tenebuntur semper ad verum in his, de quibus inter Catholicos disputatur, sed vel ad verum, vel, juxta Probabilioritas, ad verosimilius, juxta Probabilitas ad verosimile, etsi falsum. Demum, inquam, ut gloriam, quam P. Elizal. aucupatur ex SS. PP. eorumque lectione, inanem esse convincam, solo S. Augustino, quæ sæpe citat, contentus ero, nam, ut advertit P. Teril. de Reg. Mor. *qu. 6. n. 9. pag. mihi 84.* verba, quæ Celladeus citat ex S. Augustino de quantitate animæ, non sunt in loco, nec prope locum, quem Celladeus indicat, nec tamen audeo dicere, quod in toto libro non reperiantur. Hæc P. Teril. Revertor autem ad S. Augustinum, qui pluribus in locis ignorantiam sibi insuperabilem in docendis, & agendis fatetur. Primò enim in *tract. ad Orosium contra Priscillianistas cap. 11.* fatetur, inter Angelos dari Sedes, Dominationes, Principatus, Potestates, & aliquid inter se differre indubitata fide credit, sed (nota, ait P. Teril. *l. c. n. 8.* tam eminentis Doctoris humilitatem) quo me contemnas, quid inter se differant nescio; nec in eâ ignorantia periclitari me puto, sicuti in obedientia, si Domini præcepta neglexero. Ecce nescit S. Augustinus hanc veritatem speculativam, ali-

N.
182.
P. Eliz.

N.
183.

N.
184.

P. Thy.

N.

186.

P. Eliz.

P. Thy.

P. Teril.

S. Aug.

N.

187.

quo modo spectantem ad finem, nempe qualis sit differentia Angelorum. Secundo idem S. August. iterum tuam ignorantiam fatetur in re tanti momenti, quantum est, an omnes animæ ab unâ procedant; & dicit *l.c. cap. 12.* se vehementer optare, ut Deus per Orosij preces hanc a se auferat. Tertio hoc eodem S. Aug. *cap. 12.* subdit de se: *Multa alia similiter nescio, que commemorare, vel numerare non possum.* Quarto *lib. 1. de Serm. Domini in monte cap. 16.* post medium, dubitat, an uxor à marito dimissa committat adulterium, si primo viro superstiti, alteri copuletur; & paulò infra dubitat, an aliquando liceat uxori, consentiente suo marito, commiseri alteri; & relato casu Antiocheno subdit: *Nihil in hac parte disputo, liceat cuique estimare, quod velit.* Demum *Epist. 65. ad Paulinum,* frequenter suas circa Dei legem ignorantias, & dubia eidem Paulino exponit: ergo tam certum est Celladeum falli, quam certum est, quod tradidi ex S. Augustino, cujus loca recitat P. Teril. *l.c.* Quare, dum alibi S. Augustinus ait, veritatem esse invenibilem, vult tantum veritatem pertinentem ad ea, quæ sunt simpliciter necessaria necessitate mediæ salutem, esse invenibilia, ex.gr. veram fidem, Dei existentiam, animæ immortalitatem.

N. 188. Tandem præterire nolo argumentum,

quod trahit P. Teril. *l.c. n. 10. contra Eliz.* do enim omnem veritatem esse invenibilem, numquid hanc invenit Celladei, dum negat licitum usum opinionis probabilis? an non potius nos eam invenimus, dum affirmamus licitum usum illius? Sanè si stemus S. Augustino *lib. de quantitate animæ cap. 7.* Aliud est cum auctoritati credimus, aliud cum rationi; auctoritati credere magnum compendium est, & nullus labor: & paulò post loquendo de imperitionibus, *Quorum profectò,* (inquit) *maxima multitudo est, si ratione velint verum comprehendere, similitudinibusque rationum facile decipiuntur, & in varias noxiasque opiniones ita labuntur, ut emergere inde, ac liberari, aut numquam, aut ægerime queant.* His ergo utilissimum est excellentissima auctoritati credere, & secundum hoc agere vitam; quod si tutius putas, non solum nihil resisto, sed etiam multum approbo. H. c. S. Augustinus. Ecce S. Doctor luadet maximæ hominum parti, immò ut tutius proponit excellentissimæ auctoritati credere: ergo cum auctoritas favens benignæ sententiæ sit excellentissima, & longè maior, quam favens sententiæ rigide, & multo maior, quam singularis opinio P. Eliz. utilius, & tutius erit illam, quam hanc sequi auctoritatem. Plura alia P. Teril. ex quo hæc ferè ad verbum deprompsi.

P. Eliz.
P. Teril.

DISPUTATIO VI.

De errore invincibili honestatis in ordine ad honestandam actionem.

SECTIO I.

An, & qui error reddat actionem honestam, & meritoriam?

§. I.

Status questionis.

SUMMARIUM.

DD. tuentes, & negantes, quod error invincibilis honestam, & meritoriam reddat actionem sub eo positam, n. 1. 2.

N. 1.



GNORANTIAM, & errorem invincibilem legis, & malitiæ excusare actionem sub eâ elicitam à peccato, satis probavimus. Videndum modò, an invincibilis error honestatis, & præcepti red-

dat honestam, & meritoriam actionem sub eâ elicitam; id est, an sicut ignorantia, & error, quod actio non sit mala, nec sit vetita, tollit ab eâ actione malitiam formalem, ita etiam invincibilis error, quod talis actio (sive ex se indifferens, sive ex se intrinsecè, vel extrinsecè mala, seu vetita) sit per invincibilem errorem credita honesta, & præcepta, reddat eam actionem moraliter bonam, & meritoriam?

Negat P. Eliz. 1. p. lib. 3. qu. 4. & 2. p. lib. 5. qu. 18. per totum §. primum, & secundum à pag. mihi 137. quem sequitur Palanco qu. 5. per totam, & dicit ab Antiquis vix agitatam fuisse, & citat pro se Mag. Ferre. 1. 2. tr. de Probabilitate qu. 3. §. 2. dicentem esse expressam D. Thomæ; citat etiam M. Contenson de Probabilis. diff. 6. cap. 1.

N. 2.
P. Eliz.
Palanco.
M. Ferr.
M. Contenson.

Affir-